

1855

C O D I C E S

1856

domini melius intelligamus, dicendum est de passionis causa, efficacia, magnitudine &c. Autor nullibi notatus.

Quid dignum tanto feret hic promissor biatu?

Nihil nisi prima II. *Capita Libelli*, quem ipse Autor *Bonaventura* dici voluit *Incendium Amoris*, quem vero pii Scioli jam *Regimen Conscientiae*, jam *parvum Bonum*, jam *Itinerarium in se ipsum*, jam *Fontem Vitae* inscribere, quibus adde *Nostrum*. Extat edit. *Lugd.* 1686. T. VII. p. 184. et incipit: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.*

V. fol. 146. Incipit *Augustinus de Differentia inter spiritum et animam*. Ita: *Quoniam dictum est mihi, ut me ipsum cognoscam &c.* *Hugoni Victor.* tribuitur tanquam Liber ejus II. de *Anima* edit. *Rotom.* 1648. T. II. p. 145. *Isaaco Abb. de Stella* vel amico ejus *Alchero Monachis Cisterc.* in *Biblioth. Ord.* T. VI. p. 84. utroque loco multo brevior est compilatio; quam in *Append.* T. VI. *Opp. Augustini* edit. *Maur.* col. 35. ubi 3. lineis Codicem nostrum excedit, qui finit: *quos suscepit regendos.* Quid de ea censendum, habes ibi in *Monito praev.* Nobis adhaerent II. Excerpta: *De Cognitione sui ipsius, et de Die Judicij.*

DCCLXX.

R. 3132 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 356. 4. min. ele-

IV. fol. 134. Incipit *compendium compendiorum totius beatitudinis.* Quaeras:

ganter perscriptus, minio distinctus, et olim *Monasterii S. Dorothee in Vienna* complectitur *Sermones de Tempore*, primum ab Aduentu ad Pascha, dein a Paschate ad Adventum, et quidem numero plures in singulos dies, ita ut universim CLXXXV. censeantur, et tamen Sermo I. de Aduentu deficit, id quod notat Rubrica marginis: *Hic deest primus Sermo.* Praemisso igitur *Materiarum* alphabetico *Indice* Sermo II. incipit, *Universe uie domini misericordia et ueritas. Quando populo notificatur sui regis aduentus sollicite queritur de uia per quam uenturus est. ut ei ualeat obuiare. &c.* Sermones hi prae multis aliis hujus aevi prelum meriti fuissent, nisi esset quaedam etiam *Fortuna typographica.* De Autore inquirens video in anteriore *Theca* manu Sec. XV. notari: *Sermones fratris luce parisiensis de tempore super epistolas et ewangelia de ordine minorum.* Geminum *Lucam* profert *Waddingus* in *Scriptt. O. M. Affsiatem* unum, Regentem quidem aliquando *Studii Parisiensis*, editorem unius solum *Opusculi de Christi incarnatione*, et qui anno demum 1440. floruerit; alterum *Patavinum* a. 1245. defunctum, et a *Trithemio* etiam n. 501. celebratum autorem *Sermonum de Tempore.*

1857

HOMILETICI.

1858

pore. Hinc non dubito, de nostris Sermonibus agi, rescribendumque in Nota illa *Patavini pro Parisiensis*. Quae porro ulterius ibidem notantur, adscribere hic placet. *Hunc librum testatus est Monasterio sancte Dorothee virginis dominus Michael Plebanus in Pölan (Pölla, Altpölla Auftr. infer.) Canonicus in Sancto Stephano hic wienne, et singularis Capellanus domini Regis romanorum &c. monasterij nostri prenominati fundatoris, quem in Langendorf vngarie constitutum et in extremis laborantem sacramentis ecclesiasticis procuravit. Anno domini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. Tricesimo nono. Idcirco fratres Karissimi orate dominum deum benedictum et gloriosum pro animabus amborum. Sciant etiam fratres mei dilecti, quod prescriptus Rex romanorum fuit dominus Albertus quintus (Imp. II.) Illustris Princeps Austrie et postea factus etiam Rex Hungarie ac Bohemie. Locus mortis Langendorf Hungaris Neszmél dicitur.*

DCCLXXI.

R. 3157 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 209. 4. min. per duas columnas minute, sed elegantissime exaratus, rubro distinctus, et olim ejusdem *Monasterii* perfectius est *Sermonum F. Lucae*, qui hic neque *Parisinus*, neque *Patavinus* audit, Exemplar praevio tam Indice Verborum, quam Schemate omnium Sermonum, tum etiam Prologo instructum, qui incipit: *Narrauerunt*

*mibi iniqui fabulationes &c. Tanta est diuine legis excellentia, ut quidquid extra ipsam est fabulatio censetur &c. et in quo legas: Suscipe digne pater totius ordinis minorum minister &c. Sermones censentur CXCII. quorum primus est ille, qui superius secundus dicitur. Codici praetexta est Lacinia cuiusdam Commentarii rabbinici.*

DCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3150 XIV. Folior. 218. 8. per duas columnas luculente exaratus, rubro distinctus et olim ejusdem *Monasterii* continet *Excerpta e Sermonibus praedicti Lucae* melius *Patavini*, quam *Parisensis*, quamvis etiam hic *Parisinus* vocetur. Initium fecit Librarius a *Sermonibus in Dedicatione Altaris et Ecclesie*, tum ab *Adventu* orditur ita, ut Sermo: *Uniuerse viae domini* &c. supra citatus demum fol. 17. compareat. *Excerpta* plerumque brevia sunt, eaque solum in *Evangelia* et *Epistolas de Tempore*, paucis *Festis* adactis.

DCCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R 947. XIV. Folior. 159. f. per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et olim Collegii S. J. *Vienne* continet varia *Jacobi de Voragine* seu *Varaze* ex Ord. Praed. ad *Genuensem* Archiepiscopatum. a. 1292. adsumti, et a. 1298. mortui, et 1) quidem *Quadragesimale*, quod a *Die Cinerum* incipit: